



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Ebrietas quando sit peccatum mortale.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

decem inde: ut quandounque spectaculi gratia tempore belli sit. Non enim excusantur propter tempus belli, quasi sit partialis conflictus cum hostibus: quia quia non habet locum finis belli in huiusmodi partiali certamine. Non enim ordinatur conflictus iste ad debellandum, vel minuendum hostis virtutem, sed ad hostentationem hominum. Vel ad euitationem ignominiae (quasi vilis & degeneris animi reputetur, nisi acceptet duellum) peccatum quoque mortale est eadem ratione: quia contra rectam rationem non vulgarium sed sapientum eligitur percussio, periculum &c. vel ad terminandam litem ciuilem vel criminalem, peccatum quoque mortale est: quia non est proportionatum medium ad terminandum litem armata pugna percussiva &c. Licitum tamen est suscipere duellum auctoritate principis, quando accusator materiali gladio iudicis iniuste me petit multo lando vel occidendo: quoniam inuasus gladio possum me gladio tueri. Et similiter licitum est resoluere bellum iustum in duellum, quando pars habens iustum viderit se aliter succumbere: vtitur enim viribus suis ut strenuus potest. Et si haec sic breuiter dicta non penetratas, vide diffusè à nobis scripta in commentariis secunda secundæ diuini Thomæ in fine xc. questio. Vnde principes concedentes duellum (vt communiter accidere videtur) patet peccare mortaliter. Secus autem esset, si ex rationabili causa permitterent, sicut permittunt meretrices, quoniam non peccarent.

### *Ebrietas quando fit peccatum mortale.*

**E**brietas præcognita & volita propter delestatio- nem in potu vini immoderato, peccatum mortale videtur: quia contra rectam rationem violenter imponit quis sibi ipsi necessitatem vinculi tollentis usum rationis, Ebrius enim non solum est absque actuali-

actuali usus rationis, ut otiosus, & absque soluta ratione, ut dormiens, sed necessitatem habet permanendi in vinculo rationis propter quam differt a dormiente: a quo etiam differt: quia somnus est priuatio naturalis, ebrietas vero violenta, ut pote & gritudinalis perturbatio existens. Notanter autem dicitur præcongnita & volita: quia ebrietas nisi intenta sit, non est ebrietas formaliter, sed materialiter tantum. Dicitur quoque propter delectabilem potum vini: quia si quis ex intentione inebriaretur ex dispositione artis medicinae propter sanitatem, non esset ebrietas peccatum, etiam veniale: quia non esset ebrietas formaliter: nec esset ibi immoderatus potus: quia homini sic dispositio potus inebrians esset moderatus. Et rursus ratio habet, ut homo imponat sibi necessitatem permanendi ad breve tempus (puta idem &c.) sub vinculo violento rationis, usus, ut postea possit ratione in corpore sano diutius uti, quam habet corpus infirmum: sicut liceret uti opio, & aliis stupefacentibus: impedientibus rationis usum.

Ebrietas inculpabilis excusat a peccatis ex ebrietate commissis: quia tunc inuoluntaria sunt. Si autem est culpabilis, aleuiat quidem peccata ex ipsa sequentia, quia sunt minus voluntaria, sed diuersimodè. nam peccata præuisa, quia solitus est ebrios talia peccata committere, excusantur a tanto, sed non a suis speciebus, quia voluntaria sunt in sua causa, scilicet ebrietate. Non præuisa autem, excusantur a suis speciebus, sed agrauant ebrietatis peccatum: ut potè illius malorum efficiantur.

Ebrietas non plena (quando aliquis potu vini redditur nimis laetus, aut turbatur in phantasia: dum videretur ei quod domus gyretur, aut huiusmodi aliquid incurrit: non tamen perdit usum rationis) peccatum proculdubio graue est, nisi causa medicinæ fiat: quia

H. i. in me.

## 1.2.2 Electio Prælati.

immoderatus est potus secundum quantitatem vel qualitatē, & hoc si aduertenter aut negligenter accedit. Peius tamen si ex intentione: est enim tunc prope mortale: non tamen est mortale: quia nec attingit ad completam ebrietatis rationem: nec notabile damnum rationis eligitur.

### *Eligendus in Prælatum Ecclesiasticū duabus debet pollere virtutibus.*

**E**lectio Ecclesiastici pastoris debet in foro conscientiae fieri de homine habente duas conditio-nes. Prima est, quod sit bonus, hoc est sine peccato mortali. propter hoc enim dominus ter Petrum interrogavit si haberet charitatem. Secunda est, quod sit melior cæteris cognitis, qui possent eligi & haber. Melior autem, non quantum ad bonitatem vitæ sed quantum ad regimen illud nunc & hic respectu talium ouium, & reliquis particularibus occurrentiis pensatis. Exiguntur autem intantum ambæ condi-tiones, ut neutra earum possit scienter omitti sine peccato mortali. Scienter autem dico, hoc est secun-dum conscientiam eligentis: tenetur enim eligens, si absque peccati mortalis incursum vult eligere, tenere secundum suam conscientiam, quod ille quem elit, sit in gratia Dei, & quod sit ad tale officiū in hoc loco, hoc tempore, &c. melior omnibus, quos nouit posse haberi pro tali cura. Et ratio pri:ni est: quia existens in peccato mortali est indignus prælatione Ecclesiastica, ut pote non diligens Christum super omnia: ac per hoc impotens pascere Christi oves ex sua vita, quod præcipue exigitur in pastore. Ratio secundi est: quia postponere meliore minus bono in huiusmodi, non est sine crimine acceptioonis personarum, dum persona præponitur causæ.

*Et scito hic idem esse iudicium de prouisore: hoc est*